



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Epistola LXXIV. Leonis Papae I. Ad Leonem Avgvstvm. Illi gratulatur quod Calchedonensis Concilii se custodem profiteatur; vtque haereticos insectetur, adhortatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

(vt multorum ante relatione comperimus) molitiones hæreticorum, quæ contra prædictæ Synodi auctoritatem conabantur assurgere, nihil ex hoc permiseritis audere. Vnde quod negandum illis sponte vidistis, gloriosum vobis est vniuersali ecclesiæ me supplicante concedere, & incommutabiliter perpetuoque præstare, vt quæ secundum euangelium Christi & prædicationis euangelicæ veritatem omnibus retro sæculis, vna fide, vnaque intelligentia roborata sunt, nulla vltius possint actione conuelli. Prout ergo misericordia Dei consilio spiritus sui mentem vestræ pietatis instruxerit, sanctæ primitus Alexandrinæ ecclesiæ pacis reparationi consulite, & per catholicos sacerdotes talem prouideri iubete pontificem, in quo & in actuum probitate, & in fidei perfectione nihil possit reprehensibile reperiri, vt omnibus rite compositis, eadem vbique seruetur prædicatio veritatis. Data quinto Idus Iunii, Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXXIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD LEONEM AVGVSTVM.

Illi gratulatur quod Calchedonensis Concilii se custodem profiteatur; vtque hæreticos infectetur, adhortatur.

Leo episcopus Romæ Leoni semper Augusto.

LICET proxime ad clementiam vestram gemina scripta direxerim, quorum vnum debitum salutationis impleret, aliud pro statu ecclesiæ supplicaret, tamen occasione, quæ Deo prouidente se præbuit, iterari vtrumque conuenit. Secundum ergo fiduciam illam, quam ex Dei inspiratione vniuersali ecclesiæ præstitistis, ante cuiusquam preces constituendo quod maxime ab omnibus fuerat expetendum, non desinimus gratias agere, & prouidentiam Dei in fidei vestræ seruire benedicere, qui sancto & catholico spiritu, sicut fratris & coepiscopi mei Anatolii sermone cognoui, ita hæreticorum impudentiæ restitistis, vt profiteremini, ad totius mundi pacem, Calchedonensis

Concil. Tom. 7.

V ij

Synodi vos esse custodem. Quod cum ex vestræ fidei sententia saluberrime diffinitum sit, quanto studiosius vniuersali ecclesiæ est conferendum, vt tranquillitas fidei Christianæ etiam vestro profit imperio, nec improbitas hæretica in aliquo suo molimine gloriatur? cuius pertinax insidiosa contentio illico conquiescet, si imperiali potestate frenetur. Data Kalendis Septembris, Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXXV.

LEONIS PAPÆ I.

AD EVMDEM LEONEM AVGVSTVM.

Quæ duo a se imperator postulauerat, vt scilicet Constantinopolim se conferret, & Calchedonensis Concilii Decreta damnaret, ea vtraque a se ratione denegari demonstrat: hortaturque ad hæreticorum ausus reprimendos, & Alexandrinæ ecclesiæ reformationem.

Leo episcopus, Leoni Augusto.

LITERAS clementiæ tuæ plenas virtute fidei & lumine veritatis veneranter accepi. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 3. numero 25.*

EPISTOLA LXXVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD ANATOLIVM EPISCOPVM
CONSTANTINOPOLITANVM.

Quæ ab illo de Constantinopolitanæ ecclesiæ statu acceperat, se imperatori scripsisse docet; vtque hæreticam prauitatem, quæ inter suos clericos serpebat, exterminet, & imperatorem obsecret, vt hæreticorum machinas destruat.

Leo episcopus, Anatolio episcopo.

DILIGENTIAM necessariæ sollicitudinis, quam fraternitas tua in dirigendis ad nos literis exequitur, approbamus, & acceptis per filium nostrum Olympiũ paginis tuis